



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Ægyptus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A**ddunt nonnulli, lacesitum injuriis hominem, neque tamen succumbentem aut victum, per Crocodili tergus significari? propterea quod id superne corticosum adeo sit, ut contra omnem iustum, invictum habeatur. De vigore vero ejus elanguefcere, si quis eum penna Ibidis demulcat <sup>Plin. 33. 4.</sup>

mitigetque, in Ibidis commendario dictum est loco suo. Apud Horum invenias Vespa supervolantem Crocodilo indicium esse, vel ipsius animalis sanguinem corruptum, vel Crocodilum mortuum: Vespa enim ex putrefactis oritur cadaveribus. Verum id quoque mysticè, cum mala ea quæ per Crocodilum significantur, indicare vellent, facta jam mitiora vel omnino sublata: aliter frigida, & inanis ea esset interpretatio.

## ÆGYPTUS. CAP. XIII.

**C**rocodilus catena religatus ad palmam, in æreis plerisque numis habetur, cum inscriptione; C O L. A G., Colonia Ægyptus. Ab altera facie duo sunt humana capita, quorum alterum ad Orientem spectat navalì corona insigne: literæ superne sunt, I M P. ubi nimirum per Crocodilum ipsa significatur Ægyptus. Quod vero sit religatus ad palmam, Augusti omnino victoriā ostendit, quam etiam in obelisco campi Martii notari jussit, Ægypto in ditionem redacta. Duo illa capita Augusti unum, alterum Agrippa esse crediderim, de quo Virgil.

*Tempora navali fulgent rostrata corona,*

In alio Augustinumo argenteo Crocodilus, est, supra quem scriptum, ÆGYPTO infra CAPTA. ab aliis <sup>Augusti numeris, & cōmodi.</sup> Aug. 1. g. cujus meminit Plinius, cum prælium navale Ægyptiorum & Persarum pinxit, quod in Nilo, cuius aqua est mari similis, factum volebat intelligi, hieroglyphico apertissimo hoc declaravit, quod arte non poterat: Asellum enim in littore bibentem, καὶ πάρεξαν pinxit, & Crocodilum insidiantem. Est & numerus L. A. L. AVREL. COMMOD. ubi Commodus ipse sub Herculis imagine pede dextero Crocodilum calcat, lava clavam sustentat, dextera Ægypto sistrum prætendenti spicas porrigit. Inscriptio declarat, INDULCENTIÆ AUG. Atque hæc de Crocodilo dicta sufficiant.

## DE FLUVIALI EQUO. CAP. XIV.

Plurimum vero secum affert impietatis improbus ingratiusque Hippotami animus: qui nulla genitorem reverentia prosequitur, & alienis bonis diripiendis natura promptissimus existit.


## IMPIETAS. CAP. XV.

**M**erito enim Ægyptii Sacerdotes cum impium, cum ingratum, cum injustum quempiam notare vellent, Hippopotamum proponebant. Admonituri vero mortales omnes vitia ea omnino esse declinanda, totaque animi fortitudine suppressima, duas e. ius animalis ungulas deorsum inversas facere consueverunt: si quidem is ac ineunte statim adolescentia patri incipit infestus esse, tentatque, si possit eum decertando superare, quem sepe in pugnam provocat: quod si acciderit ut vitor evadat, matris coitum affectat, vita patri cōdonata: sin vietus aut cohibitus à patre fuerit, neq; tam scelerati voti compos fieri potuerit, perdurante tamen pravitate tan̄ isper conatū differt, donec adolescat, factusque jam robustior atq; validior deteriorē atate factum patrem invadit, sedissimāq; necatum petulantissimē dilaniat. Inversas igitur ungulas eas ideo statuebant: ut qui rem spectarent, quid illæ sibi vellent commonefacti, propenſiores fierent ad pietatem.

## PIETAS IMPIETATI PRÆFERENDA.

## C. CAP. XVI.

Id quod tantæ apud eos curæ fuit, ut Principum sceptra & hujusmodi pleraque insignia, atq; gestamina & monumenta, ar-



*Equi fluvialis impietas.*

maque